NONNULLA ṬARAFAE POËTAE CARMINA EX ARABICO IN LATINUM SERMONEM VERSA NOTISQUE ADUMBRATA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

UNAQUE CUM THESIBUS ADIECTIS

DIE XXIII M. NOVEMBRIS A. MCCCXCV

PUBLICE DEFENDET

BERNHARD VANDENHOFF.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT

Rev. Dom. **FL. LANDMANN**, cand. hist.
Rev. Dom. **B. VIELER**, cand. hist.
P. KLINKENBERG, cand. iur. et stud. phil. orient.

BEROLINI.
MAYER ET MUELLER.
1895.

Hoc libello meo inaugurali publici iuris facio primam partem versionis carminum Ṭarafae poetae. Quorum unum videlicet Moallacam a proposito labore meo exclusi, tum quia iam antea haud semel editum et in sermonem et Latinum et vernaculum translatum est (scil. in libris: Tharaphae Moallakah ed. Reiske, Lugd. Bat. 1742; The Moallakat ed. by Jones, London 1783; Die hellstrahlenden Plejaden ed. A. Th. Hartmann, Münster 1802; Tarafae Moallaca cum Zuzenii scholiis ed. Joannes Vullers, Bonnae 1829; P. Wolff, Die sieben Preisgedichte der Araber, Rotweil 1857), tum quia nostris temporibus alii viri spectatissimi iam diutius in literis Arabicis versati hanc sibi provinciam susceperunt, videlicet Abel in libro „Die sieben Muʿallakât, Berlin 1891" et G. Jacob in libro „Studien in arabischen Dichtern, Heft 1 et 2. Berlin 1893." Alia autem Tarafae carmina in Latinum translata notisque adumbrata omnia edam eo ordine disposita, quem secutus est el-Aʿlam grammaticus celeberrimus saeculi quinti Heǵ. Cuius recensio carminum Ṭarafae exstat in duobus codicibus Parisiensibus et uno Gothano, qui satis innotuerunt libro Ahlwardt viri illustrissimi „The divans of the six ancient arabic poets, London 1870" (imprimis p. XVII sq.) et in duobus codicibus Musei Britannici, de quibus inferius pauca dicam. Horum igitur codicum ordinem, qui mihi quidem maxime cum traditione antiquorum doctorum illorum Arabum coniunctus esse videtur, in editione versionis meae et notarum secutus sum, ordinem autem et paginas editionis Ahlwardt, quam modo commemoravi, in capite singulorum carminum indicavi. Notas autem, quibus textum illustravi, separatas addidi. Quarum magnam partem ex commentariis unius illorum codicum Musei Britannici et novi manuscripti Vindobonensis, quod infra paucis describam,

desumpsi. Habent enim praeter nonnullas erroneas, complures veras textus explicationes. Quarum eas, quae iam ex lexicis Freytag et Lane notae sunt, omittendas esse duxi, alias edidi. Praeterea non solum ex variis libris, quos infra dicam, eos locos addidi, quibus versus Ṭarafae laudantur, eos scilicet, qui in Ahlwardt editione sex poëtarum nondum in indice variarum lectionum p. 27 sqq. et 93 sqq. editi sunt, sed etiam aliorum poëtarum versus indicavi, in quibus occurrunt aut eadem verba rara aut similes sententiae comparationesque. Qua re id egi, ut et sensum poëtae nostri explicarem et, si quomodo valerem, investigarem, quibusnam aliorum poëtarum versibus ipse, quique poëtae ipsius versibus usi essent, si minus valerem, iis qui tanto labori pares sunt, aliquid materiae praeberem. (Sic carmen 34 Mufaḍḍ. nonnullis locis, quos in notis indicavi, convenit cum carmine I Ṭarafae.)

Haec igitur de ordine ac ratione libelli mei. Nunc pauca dicam de libris codicibusque manuscriptis, quibus in labore meo usus sum. Et maxime quidem inservivit mihi textus optime exaratus editionis illius, quam saepius laudavi et postea littera A significabo, Ahlwardt scilicet viri illustrissimi l. c. p. ۵۳—۷۴, ۱۸۳—۱۸۸ et $11^3/_4$. Duos autem codices illos Parisienses quibus non solum Ahlwardt in hac editione sua, sed etiam Mac Guckin de Slane in editione et versione carminis I, quod est in editione Ahlw. quintum l. c. p. ۹۰ (Journal asiatique ser. III vol. 5 pag. 460.) usus erat, non vidi. Manuscriptum autem Gothanum, quo Ahlwardt item usus erat, excussi, sed cum non nisi textum cum paucis notis, quas iam Ahlwardt examinavit, exhibeat, nihil memoriae dignum ex eo desumpsi. Magis vero profuerunt mihi duo manuscripta Musei Britannici, quae accuratissime descripta invenis in „Supplement to the Catalogue of the Arabic Manuscripts in the British Museum“ by Rieu, 1894 p. 645 nº 1026 et alterum p. 646 nº 1027 (cf. A. v. Kremer, Über meine Sammlung orientalischer Handschriften, Wien 1885. p. 95 n. 160 et 161.) Manuscriptum igitur nº 1027 foliis 54^b—65^b continet carmina recensionis al-A'lam ordine usitato, quem vide descriptum A. p. 105,

disposita, nisi quod in fine textus ultimi 7 versus carminis octavi et carmina nonum et tertium desunt. Post versum nonum enim carminis octavi infra exstant verba versus sequentis: وَلَوْا وَأَعْطَوْنا. Folia autem sequentia vacant. Oportet igitur unum vel plura folia huius manuscripti perisse. Incipit autem divanus fol. 54[b] post basmalam et benedictionem prophetae et familiae sociorumque eius verbis: وقال طرفة. Deinde sequitur genealogia eius nota eodem modo, quo datur a Vullers l. cit. p. 1. nota (nisi quod deest: Ibn saʿd.). Cuius singula nomina rectius transcripsit F. Wüstenfeld Genealog. Tabellen, Göttingen 1852 tab. C (vide etiam: Ibn Doreid p. ٢١٥ nota x, Muht p. ٣٨). Singula autem carmina praecedunt eadem verba, quae legis Ahlwardt l. c. p. ٢١٧, nisi quod legitur ante carmen ٥ (ed. A.) وقال ايضا, ante carmen ١٢ omittitur بْنِ بِشْر, ante carmen ١٠ additur وعشيرته, ante c. ١١ legitur وقال ايضا, ante c. ١٧ idem quod A. l. c., sed تلمة pro سلمة et لتبذل, ante c. ١٩ idem, quod A. l. c. usque ad verbum عمرو, deinde (sic!) طرفة أَمْرٌ (l. وأتى?) وكان يعتذر وننى, ante c. ٧: وقال يَهْجو عَمْرَ(و) بن هِنْدٍ وكان عمر(و) شَرِيرًا(ا) وكان يقال له مُضَرِّطُ الحِجارة, ante c. ١٨ eadem, quae A. l. c. usque ad verbum حين, ante c. ١ additur: ويقال انها من أَوَّلِ ما قال, ante c. ١٤ legitur: وقال ايضا يذكر يوم التَّحالُق, ante c. ٩ omittitur بن عمرو, ante c. ٢ additur: و قال طرفة لعمرو بن مُنْذِرٍ يلوم (ا)صحابَهُ, ante c. ١٣: وممّا رواه ابن السِّكّيت عن غير الأَصْمَعيّ مِنْ شِعْرِ طرفة, ante c. ٨ وقال ايضا.

Numerus autem versuum hoc modo differt ab ed. A. In carmine ٤ desunt versus 50, 67, 86, 90, 101, 102, 103, in carmine ٥ v. 1—7 et 74, in c. ١٠ v. 10, in c. ١١ v. 12, in c. ١ v. 8, in c. ١٣ v. 11 et 12.

Commentarius in hoc codice non datur, passim tamen verbum suprascriptum est ad explicandum sensum singulorum verborum, sicut in codice Gothano (A. p. XVI). Saepe puncta diacritica male ponuntur sive desunt. Littera ظ cum ض commutatur.

In universum igitur haec de hoc codice satis sint, varias autem lectiones in notis sub sigillo Lb indicabo.

Alterum manuscriptum nº 1026 continet inde a folio ١ᵇ usque ad fol. ٥٠ᵇ. carmina Tarafae secundum ordinem Al-Aʿlam. Etiam numerus versuum idem est atque in recensione al-Aʿlam (ed. A. p. ٥٣—٧٤)., nisi quod ultimi carminis (videlicet ed. A. tertii) duo tantum versus habentur. Item commentarium, qui singulis versibus adscriptus est, confecit non al Aṣmaʿî (sicut fol. ١ᵃ legitur), sed al Aʿlam. Id etiam statuerunt Rieu l. c. et Hommel (vide: Dyroff, Zur Geschichte der Überlieferung des Zuhairdivans p. 3 note 2. Münchener Dissertation, 1892). Sed ut res omnibus appareret, commentarium huius manuscripti cum locis commentarii al Aʿlam in opere Ḫizânat al-adab traditis comparavi et imprimis ad carminis I (Ahlw. ٥) versus 46—49, 51—58, 68, 69 relatis variis lectionibus locos citati operis annotavi.

Verae autem traditionis, de qua infra iterum dicam, commentarii codicis nostri testes sunt etiam complures loci operis al-ʿAinî ad verbum consonantes, quos apud singulos versus notavi (vide notas ad c. I v. 1, 36, 39, 40, 41, 43 et ad c. V (ed. A. ١١). Quae cum ita sint hunc commentarium, etiamsi non in omnibus mihi probatus sit, maxime mihi profuisse ad sensum versuum explicandum neminem fugit.

Itaque multa ex eo sigillo La significata deprompsi. De notis autem, quae singula carmina praecedunt, hic id tantum dicam, carmen ١٣ (ed. A.) eadem verba de carminibus non ab al-Aṣmaʿî traditis praecedere, quae in codice Lb. (vide supra). Maiorem sane fructum perciperemus e codice illo perantiquo bibliothecae privatae Cahirae urbis, ex quo codex noster manavit. Sed cum in bibliotheca Khediviali non inveniatur, nondum videtur publici iuris factus omnium studio patere.

Praeterea usus sum codice Vindobonensi Bibliothecae imperialis Austriacae Mixt. 781. Cuius folia pergamena altitudinem habent 24 cm, latitudinem 17 cm. Conglutinatus est magnificenter more Europaeo, a tergo et angulis corio munitus. Qui codex sicut, iam animadvertit Landberg (Primeurs arabes fasc. II p. 1.), continet divanos illorum sex poetarum Arabum, sed quatuor primorum sc. 'Imru'ulkaisi, An-Nâbiġa, ʿAlkama et Zuhairi (quem edidit Landberg, Prim. Arabes, fasc. II) cum commentario 'Al-'Aʿlam litteris Maġribînis optime scriptos. Carmina autem ʿAntarae et Ṭarafae poetarum continet cum commentario grammatici Abû Bekr ʿÂsim ibn 'Ejjûb Baṭaljusensis. Divanum enim Ṭarafae folio 223 r° praecedunt haec verba: مَجْمُوعْ من شِعْرِ طَرَفَةَ بْنِ العَبْدِ وشَرْحٌ لِلْوَزِير صاحِب المَظالم أبو (أبى .l) بَكْر عاصِم بن أَيّوب البَطَلْيُوسِىّ (De quo grammatico, cum alio loco scribere pauca mihi in animo sit, hic illud tantum dicam eum mortuum esse anno H. 494 [qui incipit 6° Novembris 1100 p. Chr. n.] non anno 194 H. sicut habet Ḥaġi Chalfa t. IV n. 7521. vide Bibl. Arabo Hispana t. II p. ۴۴۳). Sequitur pagina altera بسم الله الرحمان الرحيم وبه نَسْتَفْتِحُ قال الوزير الفقير صاحب المظالم أبو بكر عاصِم بن أَيّوب أَبْقه الله. Deinde addit stirpem Ṭarafae notam.

Sequitur Moallaka et alia carmina, quorum ordinem si brevi reliqua divani carmina edam, accuratius describam. Ultima antem verba fol. 250 v° haec sunt: تَمَّ ديوانُ طرفة قَدِيمْ ديوانُ طرفة بن العبد مَعَ شَرْحه الخَميسَ فى أَواخِر الرَّبيع الأَوَّل سَبْع وسَبْعين فالأَلْفِ من الهجر (sic!) [والحمد ربه والحمد ربه عن صاحبها اب الريح] Verba uncis inclusa non intelligo Scriptus est igitur finis textus codicis nostri die Jovis ulmis diebus mensis Rabîʿ primi anni 1077 H. (i. e. 23 sive 0 die Septembris anni 1666 p. Chr.).

Quosi quaeritur quidnam valeat hic codex noster quem

sigillo V significavi, ad textum divani Ṭarafae restituendum, respondeo valorem eius multo minorem esse quam textum codicis La. Primum enim textus codicis V magna cum negligentia scriptus est. Vocales multisque locis etiam puncta diacritica omissa sunt. Quamobrem duos versus alio loco non traditos omittendos esse duxi, donec melius traditi inveniantur, alios, quorum formam e contextu et commentario addito cognoscere existimabam, non nisi cum magna cautela edere audeo. Sane commentarii locos dubios plurimos consultis lexicis aliisque libris et maxime commentario al-Aʿlam legere potui. Deinde textus codicis V. videtur esse descriptus e codice corrupto. Nonnullis enim locis scriba cum textum legere non posset lacunas reliquit. Insuper in carmine ١١ (ed. A.) singulis versibus additi sunt loci commentarii aliorum versuum. Ita ordo textus a scriba cum e variis libris describeret, videtur esse perversus. Fortasse etiam aliorum commentatorum locos Baṭaljusii commentario admiscuit. Quae cum ita sint, in textum divani Ṭarafae idem cadere videtur, quod legitur in fine divani ʿAntarae poetae eadem, ut videtur, manu scripti, scilicet: كَمُلَ شِعْرُ عَنْتَرَةَ مَعَ مَا كَتَبَ عَلَيْهِ ٱلْبَطَلْيَوْسِىُّ مِنْ نُسْخَةٍ سَقِيمَةٍ مَغْلُوطَةٍ وَلَمْ يَصِحَّ فَلَا مُؤَاخَذَةَ وصلّا الله على رسوله محمّد وآله „Explicit divanus carminum ʿAntarae cum iis, quae de iis scripsit Baṭaljusius descripta a textu infirmo mendoso. Quam ob rem excuses velim!“

Denique commentarius codicis La eo praestat commentario codicis V, quod in illo postquam maior carminum numerus scriptus est, legitur f° 45 r°: وَمِمَّا رَوَاهُ ٱبْنُ ٱلسِّكِّيتِ عَنْ غَيْرِ ٱلْأَصْمَعِيِّ مِنْ شِعْرِ طَرَفَةَ قَوْلُهُ فِى رِوَايَةِ أَبِى عَمْرٍو ٱلشَّيْبَانِىِّ „Ex iis carminibus Ṭarafae quae Ibn as-Sikkît non al-Aṣmaʿî, (sed alīus) auctoritate tradidit, illa carmina eius (sc. Ṭarafae) sunt, quae tradidit Abu ʿAmr aš-Šaibânî.“ Tum sequuntur carmina, quae in editione A. leguntur loco 13°, 8°, 9°, 3°.

Sed in codice V. non tam bono ordine antiquorum doctorum Arabum traditio de genuina textus forma refertur, sed

passim notae illorum commentario intermixtae sunt. Sunt autem multo plures quam in codice La. Hic enim ter quaterve antiquorum illorum auctoritas laudatur (velut al-Aṣma'î ad versum quartum carm. I, Abu 'Ubaida ad versum 6^{m}), sed in codice V [cuius sane partem primam, quae continet moallacam Ṭarafae cum commentario, neglexi] al-Aṣma'î [qui vixit ab anno 122 (sive 123) usque ad annum 213 H.] 14 vicibus laudatur,

Abu 'Ubaida [vixit a 114 (?) usque ad 210?] 6 vicibus,

Ibn al-A'râbi [mortuus anno 232 (sive 231) — 80 sive 81 annos natus] 5,

al-Ḳutabi [idem ut videtur, atque Ibn Ḳutaiba (cf. Jacut. ed. Wüstenfeld VI reg. 2.) qui mortuus est anno H. 270 sive 276] 6,

aṭ-Ṭûsî (mortuus circa annum 250 cf. Flügel, Schulen p. 156 et Ahlwardt six div. p. V) 7,

Abu 'Amr (sc. Ibn-ul-'Alâ', mortuus circa a. 154 sive aš-Šeibânî (quod semel expresse additur) mortuus a. 213 sive 206) 7,

Abu-l Ḥasan [qui est fortasse al-Aḫfaš minor, mortuus a 315 (316)] 9,

Abu Jûsuf (sc. Ibn as-Sikkît, mortuus 243 (244) 58 annos natus) bis landantur. —

Ḳuṭrub (mortuus 206),

al Ḫaṭṭâbî (cf. Flügel, Schulen p. 151),

Abû 'Alî (qui est fortasse al-Ḳâlî mortuus a. 303 Flügel, Schulen p. 112 sive al-Fârisî, mortuus anno 377 v. Nuzhat p. 387),

Jaḥjâ ibn abî Jaḥjâ (?) et al-Buradî (?) (quos nusquam in alio libro laudatos inveni),

Abû Muḥammed (fortasse al-Ḫaṭṭâbî) et

Ibn as-Sîrâfî (mortuus a. 385) semel laudantur.

Quorum doctorum traditiones magna sane cautione probandae saltem iis locis, quibus, ut saepe accidit, singula verba utriusque codicis eadem sunt, magna cum fide referri maxime mihi probatur. Multa quoque jam ex lexicis nota sunt.

Hi sunt codices, quibus in mea versione notisque usus sum. Praetera existit divanus Ṭarafae in bibl. Escurialensi, Casiri n° 299. Derenbourg n° 301. (cum commentario al-A'lam),

in bibl. Bodleiana, Uri 1223 (sub falso titulo Mo'allakât carmina ۴, ٥ et ۱۱ Ṭarafae ed. A. cum eodem commentario), in bibliotheca Constantinopolitana secunda ad templum Laleli dictum condita cf. H. Chalfa VII p. 381 n. ١٥٨٨, in bibl. urbis Fas, vide: Les manuscrits arabes de deux bibliothèques de Fas par Renè Basset, Alger 1883 p. 7, in bibliotheca publica Algeriensi, vide: Cat. des mscrs des bibliothèques de France. Dèpartements t. 18. Alger par Fagnan 1893 p. 502 nº 1787.

Liceat hic notare Pertsch in „Katalog der arab. Hd.-schriften der Bibliothek in Gotha" errare, si vol. IV p. 210 dixit in Bibliotheca Bodleiana codicem Uri 1298 continere „divanos sex poëtarum", exhibet enim moallakas solum.

Praeterea existit textus carminis I (ed. A. ٥) et XIV (ed A. ١۴) in collectione carminum, cuius titulus est: مختارات شعراء العرب, quae collegit Imâmus Hibatu'llah ibn 'Alî ibn Muhammed ibn Ḥamzah al 'Alawî al Ḥasanî abû's-Sa'âdât ibn aš-Šaǵarî (de quo vide: Nuzhat p. ۴٨٥ et TA III ٢٩١ 26)

Cuius ipsum autographum quod perfecit anno 542 exstat in bibliotheca Khediviali (vide: Cat. vol. IV p. ٣٢٠). Textum autem eius, cum sit anno 1306 h. haud magna diligentia editus, certe cognoscere non possumus. Vocales falso positas omitto, in v. 24. legit رفد pro رقّد, in v. 39 لبثوا pro لبسوا, in v. 41 زادوا pro زادوا, v. 49 مُتْرَعَةً pro مُتْرَعَةً, v. 61 مُجَلِّ, v. 62 تَلَعٌ, v. 55a ذلق, alias varias lectiones, quae ab ed. A. saepe multum discrepant in notis addam. Item ordo versuum alius est atque in ed. A. Qua re etiam sensus versuum nonnullorum mutatur, velut, si versus 23 legitur post v. 12. Est autem ordo versuum carm. I cum ordine versuum ed. A. comparatus hic:

1, 4, 2, 3, 5, 6, 13. 16, 18, 19, 15, 20, 21, 12, 23, 7, 9, 24, 25, 26, 10, 27, 28, 37, 38, 39, 40, 42, 43, 44, tum: وندامى حَسَنٍ أَوْجُهُهُمْ 36b, 41, 36a, 55b, 54, 34, 35, 46, 48, 49, 50, 56, 57—64, 55a, 66b, 67, app. 10,2; 52, 29, 30, 31, 32, 68—70, 47, 71, 53, 73, 74.

Ordo autem versuum carm. XIV quod „al-Mufaḍḍal et Abû ʿUbaida (Ṭarafae esse) affirmaverunt, al-Aṣmaʿî autem ignoravit“ (Muẖt. p. ۴۴) hic est: 1—9, 11, 12, 13, tum بَرَّنا لِلْحَرْب إِمَّا كُشِفَتْ مُقْرَبَاتُ الخَيْلِ يَعْلُكْنَ اللُّجُمْ 16, 18—22.

Nunc si difficilem de genuitate divani Ṭarafae quaestionem attingimus, vix unquam dissolvi posse videtur. Si autem Ahlwardt vir doctissimus, in ,,Bemerkungen über die Echtheit der altarab. Gedichte“ p. 61 l. 12. unam tantum Muʿallaḳam genuinam esse existimavit, Hommel in ,,Jahresbericht über die Morgenländ. Studien im Jahre 1881 (Leipzig 1885)“ p. 122 retulit, etiam Sîbâwaihi, qui mortuus est circa annum 180 H. quadraginta annos natus in „libro“ suo versus carminis I Tarafae, (A. ٥ p. ٩٠) memorasse. Qui sunt versus 41 et 69 (vide ed. Derenbourg I. p. 47 l. 13 [Jahn, Sibawaihi's Buch über die Gramm. Berlin 1894 p. 73 textus] et II 457 l. 8). Sed utrum totum carmen illud sit genuinum, an intermixtum versibus spuriis difficulter discerni potest. Mihi quidem, si tres primos versus excipio, et v. 13^{m} (vide Ahlwardt, Bemerkungen 60 l. 19), omnes versus bene cohaerere videntur. Versus Ṭar. app. 10,2 et 23 habet cod. V iis locis, quibus Ahlwardt coniecerat, Bemerkungen p. 60. De carmine VII^{mo} vide Noeldeke, Geschichte der Perser und Araber p. 172 Anm. 1 et 345 Anm. 4.

De vita autem poetae nostri non videtur esse utile omnia, quae narrantur denuo congerere, cf. Vullers et Reiske l. cit. p. 1 sqq. Id tantum statuam Ṭarafam, si vere ʿAmri filii Hindae, regis Ḥirae urbis iussu vigesimum sextum annum agens in regione Bahrain occisus est, ante annum 568 sive 569um p. Chr. n. e vita decessisse. (cf. Noeldeke l. cit. p. 170 sqq.) Nam usque ad hunc annum ʿAmr filius Hindae Ḥirae regnavit.

Restat igitur, ut iis omnibus debitas gratias agam, qui mihi in hoc libello scribendo faverunt auxiliumque praebuerunt. Ac maxime quidem obligatus sum Reverendissimo episcopo Monasteriensi Dr. Hermanno Dingelstad, qui mihi, ut in hoc

linguarum orientalium studium per tantum tempus incumberem, benignissime permisit. Deinde etiam debitas gratias persolvo Regio ministerio in rebus spiritualibus et medicinalibus Borussico, cuius munificentia sublevatus autumno praeterito per totum mensem Londinii Museum Britannicum, Oxonii bibliothecam Bodleianam studiorum causa frequentare potui. Quarum bibliothecarum rectores nec non bibliothecae nostrae regiae et bibl. universitatis Berolinensium et Vindobonensis imperialis officiales summa liberalitate laborem meum adiuverunt. Neque vero silentio praetermittere possum viros doctissimos R. Geyer Vindobonensem et L. Abel Erlangensem, qui aliquot manuscriptorum locos mihi miserunt in secunda parte libelli mei publici iuris faciendos, P. Ascherson professorem botanicae Berolinensem, quem de nonnullis plantarum nominibus consului, D. S. Margoliouth Oxoniensem, qui mihi varias lectiones manuscripti Oxoniensis, quod supra commemoravi Uri 1223, E. Fagnan Algeriensem, qui mihi varias lectiones nec non duo Ṭarafae carmina inedita ex manuscripto 1787 bibl. Algeriensis non sine incommodo hoc mense Julio transscripta benevolentissime misit. Quas tandem dignas gratias persolvam professoribus meis amplissimis et doctissimis imprimis Sachau et Fell, quorum hic e longinquo, ille praesens semper horum studiorum meorum suasores fautoresque erant?

Libellum tandem lectorum benignitati committo. Quod si quid aut necessarium omisi aut superfluum addidi, alia minus recte protuli, in hoc studiorum meorum tirocinio minus aegre ferant. In quo veniam saltem doctorum virorum si consecutus ero, maiores in dies studiorum meorum fruges spondeo ac promitto.

Index librorum et compendiorum.

1. A. = The divans of the six ancient Arabic poets . . . by W. Ahlwardt. London 1870.
2. Bemerkungen über die Ächtheit der alten Arabischen Gedichte von W. Ahlwardt. Greifswald 1872.
3. Ahlwardt, Chalef = Chalef el ahmars Qasside. Greifswald 1859.
4. Adab al-kâtib = كتاب ادب الكاتب تَأْليف أبى محمّد عبد اللهِ ابْن مُسْلِم بْن قُتَيْبَةَ الدِّينَوَرِىّ. مصر ١٣٠٠
5. aġ = kitâb al-aġânî lil-imâm Abî 'l-Faraġ al-Iṣbahânî. Bûlâḳ 1285.
6. Al-ʿAinî = كتاب المقاصد النّحوية فى شرح شواهد شُروحِ الالفية . . . للامام العَيْنيِّ مّحمود (in margine operis Ḫiz.)
7. Bakri = كتاب معجم ما استعجم. Das geograph. Wörterbuch des 'AbuʿUbeid . . . el Bekri . . . herausgeg. v. F. Wüstenfeld. Göttingen 1876—77, 2 Bde.
8. Bânat Suʿâd = Guidi, Gemâl ed-dîni ibn Hišâmi commentarius in carmen Kaʿbi ben Zoheir Bânat Suʿâd. Lipsiae 1871.
9. Barth, Etymolog. Studien. Leipzig 1893.
10. Kazwîni, Kosmographie ed. F. Wüstenfeld 2 Bde. Göttingen 1849.
11. D. H. = Divanus Hudailitarum (Carmina Hudsailitarum. arabice edita ab J. G. L. Kosegarten Vol. I. London 1854. Wellhausen, Skizzen u. Vorarbeiten Heft I. Berlin 1884.)
12. Doughty, Travels in Arabia Deserta. Cambridge 1888.
13. Fleischer Kl. Schr. = Kleinere Schriften. Leipzig 1885—88.

14. Gedichte u. Fragmente des 'Aus ibn Ḥajar . . herausgegeben von Rud. Geyer (in S.KAWW = Sitzgsber. der kais. Akad. der Wissenschaften in Wien, Philos. hist. Klasse. Bd. CXXVI. Wien 1892.)

15. Goldziher, Muhammedanische Studien. Halle a.|S. 1889—90. 2 Bde.

16. al-Ḥuṭ. = Der Divan des Ǵarwal b. 'Aus Al-Ḥuṭej'a Bearbeitet v. Goldziher (in ZDMG Bd. 46 et 47).

17. Ḥam. = Hamasae carmina . . ed. Freytag. Bonnae 1828—51. 2 Partes.

18. Fraenkel, Aramäische Fremdwörter im Arabischen. Leiden 1876.

19. Ḫiz. = خِزانة الأَدَب ولُبّ اللُّباب لِسان العرب على شَواهِد
شرح الكافِيّة للشيخ عبد القادر بن عمر البغدادى . .
بولاق ١٢٩٩.

20. Al-Hadirae Divanus ed. Engelmann. Lugd. B. 1858.

21. Ḥuṣrî = al-Ḥuṣrî: „Zahr al-âdâb" impressum in margine operis „Al-ʿIḳd al-Farîd." ed. Bûlâḳ 1293.

22. Diwan poetae Moslim Abul-Walîd ed. de Goeje. Lugd. B. 1875.

23. De Dsur-Rumma poëta Arabe . . . Smend. Bonn 1874.

24. Hommel, Die Säugetiernamen bei den südsemitischen Völkern. Leipzig 1859.

25. Huber, Ueber das „Meisir" gen. Spiel der heidn. Araber. Leipzig 1883.

26. Al-Hamdâni's Geographie der arabischen Halbinsel ed. D. H. Müller. Leiden 1884.

27. Abh. G. G. W. = Abhandlungen der Königlichen Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen.

28. NGGW = Nachrichten von der Königlichen Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen.

29. Ch. Huber, Journal d'un voyage en Arabie (1883—1884). Paris 1891.

30. I. Dor. = Abu Bekr . . . . Ibn Doreid's genealogisch etymologisches Handbuch herausgegeben von F. Wüstenfeld. Göttingen 1854.

31. Ibn al Baithar traduit par Leclerc (in Notices et Ex-

traits des manuscripts de la bibliothèque nationale t. 23,1 — 25,1 — 26,1.) Paris 1877—83.

32. G. Jacob, Studien in arabischen Dichtern I et II. Berlin 1893—94.

33. Ibn Jâ'îš Commentar zu Zamachšari's Mufaṣṣal . . . herausgegeben von G. Jahn. Leipzig 1882—1886. 2 Bde.

34. Îǵâz = „el-îǵâz wa'l-i'ǵaz lit-ṯa'âlibî“ in ẖams rasâ'il, Constantinopel ١٣٠١.

35. Ibn al-Qûṭiyya = I. Guidi, il libro dei verbi di Ibn al-Qûṭiyya. Leida 1894.

36. Genealog. Tabellen der arab. Stämme und Familien . . ed. F. Wüstenfeld. Göttingen 1852.

37. Jahn = G. Jahn, Sîbawaihi's Buch über die Grammatik, Berlin 1894. Erläut. = Text der Erläuterungen.

38. 'Ikd = العِقْد الفَرِيد للإمام شِهاب الدين أحمد المعروف بابن عبد ربّه الأَنْدَلُسِيّ المالِكِيّ. مصر ١٢٩٣ (3 tomi)

39. Illustration = Illustration de la Flore d'Egypte par P. Ascherson et G. Schweinfurth in: (Mémoires de l'Institut egyptien II. Le Caire 1889. p. 25 sqq.)

40. Kamil = The Kâmil of el-Mubarrad edited by W. Wright. Leipzig 1864—92.

41. Lebîd = (Der Diwan des Lebîd . . . herausgegeben von . . al Châlidî. Wien 1880. — Die Gedichte des Lebîd aus dem Nachlasse Hubers herausgegeben von Brockelmann. Leiden 1892.)

42. Lakîṭ = Noeldeke, Beiträge zur altar. Litteratur u. Geschichte Lakîṭ ben Ya'mar. (in Orient u. Occident I. p. 708).

43. Lane, An Arabic English lexicon. London 1863—93.

44. Löw, Aramäische Pflanzennamen. Leipzig 1881.

45. Miṣbâḥ = Miṣbâḥ el munîr auctore Ahmed Ibn Muh . . . al Makkari. Bulâk 1864.

46. Mufaḍḍ. = Die Mufaḍḍalîjât . . herausgeg. v. H. Thorbecke. Leipzig 1885.

47. Mufaṣṣ = Al-Mufaṣṣal, opus de re grammatica Arabicum auctore . . . Zamachšario . . ed. Broch. Christianiae 1859.

48. Muwaśśâ = Kitâb al-Muwaśśâ of Abû 'ṭ-Ṭayyib Muḥammed ibn Isḥâq al-waśśâ ed. by R. Brünnow. Leyden 1886.

49. Naṣr. = كتاب شعراء النَّصْرانيَّة جمعه . . الاب لويس شيخو اليسوعيّ. بيروت ١٨٩٠

50. Neświan = Codex Berolinensis Wetzstein I 149 (Thesaurus linguae Arabicae dialectici Jemanensis).

51. Nawâdir = Kitabul-nawâdir fî 'l-luġa li-abî Zeid Sa'îd ibn Aus ibn Ṯâbit el-Anṣârî. Beirût 1894.

52. Beiträge zur Kenntnis der Poesie der alten Araber von Th. Nöldeke. Hannover 1864.

53. Prim. arabes = Primeurs Arabes présentées par le comte de Landberg. Leyde 1887—89. 2. vol.

54. Rasm. addit. = Rasmussen, Additamenta ad historiam Arabum. Havniae 1821.

55. Schiaparelli, = L'arte poëtica di . . . . Ṯa'lab . . . pubblicata da C. Schiaparelli. (Actes du 8e Congrès International des Orientalistes) Leide 1890. Section I p. 173.

56. Šerîši = شرح المقامات الحريريَّة لابى العباس . . . الشَّريشيّ. بولاق ١٣٠٠ (2 tomi).

57. Schwarzlose = كتاب السلاح Die Waffen der alten Araber aus ihren Dichtern dargestellt . . von F. W. Schwarzlose. Leipzig 1886.

58. Robertson-Smith, Kinship and Marriage in early Arabia. Cambridge 1885.

59. de Slane = Le divan d'Amrolkais par Mac Guckin de Slane. Paris 1837.

60. 'Urwa = Die Gedichte des 'Urwa ibn Alward herausgeg. von Th. Nöldeke. Aus dem 11. Bde. der Abhandlungen der Kgl. Ges. der Wissenschaften zu Göttingen 1863.

61. Wellhausen Sk. = Skizzen u. Vorarbeiten . . . Berlin 1884—1888 (Heft I—III).

62. Wright op. ar. = Wright, opuscula arabica. Leyden 1859.

63. Jacut = Jacut, geographisches Wörterbuch herausgegeben von F. Wüstenfeld. Leipzig 1866—1870.

64. Zam. = Az-Zamakšarii lexicon geographicum . . . ed. M. Salverda de Grave. Lugd. Bat. 1856.
65. Geschichte der Perser u. Araber . . . Aus Ṭabaris arab. Chronik übersetzt von Th. Nöldeke. Leiden 1879.
66. O = msc. Oxoniense, Uri 1223 = Marsh. 335.
67. E = msc. Algeriense 1787.
68. Muẖt. = Muẖtârât šuʿarâʾi ʾl-ʿarab. Vide supra p. 8.
69. Nuzhat = Nuzhatu ʾl-alibbâʾ fî ṭabaḳâti ʾl-udabâʾ aj annuḥât, taʾlifu ʾl-imâm al-ʿâlim Abîʾl-barakât ʿAbdir-raḥmân ibn Muḥammed al-Anbârî. Miṣr 1294.
70. Muġni = Muġni al-Labîb liš-šaiẖ Ǵemal ad-dîn Ibn Hišâm al-Anṣârî. Bûlâḳ 1302. — in marg. = Ḥâšija aš-šaiẖ Muḥammed al-Amîr (quod in margine Muġnî impressum est). Versus sex poetarum retuli usus ed. A. Sigilla consueta usurpavi, sc. Nâb. = al-Nâbiġa, ʿAnt. = ʿAntara, Ṭar. = Ṭarafa, Zuh. = Zuhair, ʿAlḳ. = ʿAlḳama, Imrḳ. = Imruʾuʾl-ḳais, app. = appendix.

TA = تاجُ العَروس. LA = لسان العَرَبِ.

ʿIḳd, Rasm., Lane et Bekri locos mihi indicavit professor W. Fell.

Carmina Tarafae poetae.

I (A. ٥ p. ٩٠).

1. (Tandemne) resipuisti hodie, an amore te implevit Hirr, ita ut amore accensus sit furor immoderatus?
2. „Non sit amor tuus morbus mortifer neque esset hoc, o Mawijjaḥ, generose a te factum.“
3. Quomodo sperem amorem eius, postquam cor meum dolorem cepit secretum (ex secessu eius)?
4. Somnum ademit oculo phantasma nocturnum, quod non quievit, sed circuivit et venit ad me dormientem, dum nostrorum equitum turma commoraretur in deserto Jusur.
5. Pertransiit (amatae imago) deserta periculosa usque ad clitellas nostras extrema parte noctis, similis dorcadi tenerae.
6. Tum visitavit me, cum dormirent socii mei vestiti veste ex Burd et Namir composita.
7. Furtim aspicit me oculis pulli dorcadis buccisque pulli dorcadis fusci imperiti.
8. Et illi sunt duo latera antilopes pullos habentis, quae sectatur in campo arenoso ramos florum
9. Et super amba latera tergi sunt comae defluentes, pulchre nascentes, copiosae, longae.
10. Duro cornu haec antilope, cui est pullus striati coloris, concutit lotum et ramos arboris Samur,
11. inter regiones Ḫufâf et al-Liwâ postquam autumno praeterito peperit, amanter inclinat in pullum molles ungulas habentem albi coloris.
12. Putares matri (tenerrimae) molestum laborem esse aspectum (pulli) (sc. cum caput suum deflectit). O popule mi! admiramini juventutem formosam!

13. (Ubicumque aestatem degunt in Nagd aut hiemant circa regionem D̠āt el Ḥād̠ in uno duorum flexuum vallis Wuḳur.)
14. Et propterea accipit ab ea omnibus temporibus merum vinum admixtum aquae dulci frigidae (i. e. oscula).
15. Quem potum si porrigit ei (saepe), tamen interdum denegat ei, facitque ut videat stellas meridie currentes (ut sibi infelicissimus esse videatur).
16. Cruciatur diu amore eius, cum absit illa in terra non minus longinqua, quam locus quem visitat is, qui (praeterita) in mentem revocat. (aut: .... cum illa absit longe. O quam longinquus est locus, quem visitat, is, qui (praeterita) in mentem revocat!)
17. Sed si longinqua est interdum regio, in quam amata proficiscitur, tamen revertitur in locum conventus amantium.
18. Amplo corpore praedita, ostendit cum subridet dentium seriem inter se distantium, splendentem sicut camillas arenae albi coloris,
19. Posuitque sol loco illius (seriei dentium) ubi nascuntur, grandinem albam, politam, acrem seriem,
20. Ridens autem, ostendit dentium seriem, similem moschi partibus comminutis, aqua frigida conspersis,
21. quae cum de colle deflueret, (borea?) vento frigido afflata, postea in medio planitiei saxeae patentis subsedit.
22. Quo vento frigido surgente, ruinam minatur (arenae) levis (cumulus) et delabitur summi collis pars a fundo soluta.
23. Propellit ille ventus frigus validum summo ardore (quem adducit,) et summum ardorem, cum frigide flat.
24. Noli me proinde vituperare! (quod amo illam mulierem!) Est enim e numero illarum mulierum, quae dormire solent aestate (cum laborem exercere non debeant), infantes non habent neque multis partubus extenuatae sunt.
25. Quarum facies colore similes sunt nubibus veris, teneritate ramis viridis, quos effudit prima aestas.

2

26. Afflixerunt me (illius gentis homines), quo die iniecerunt frena camelis suis canis, cum deducerent feminam dulci voce praeditam, velo tectam, odoribus imbutam.

27. Et cum me increpitant linguae vituperantium, non sum lentus, debilis (in respondendo),

28. non grandaevus impedite incedens, aetate decrepitus, valde timens noctis neque armis orbatus.

29. Et quot terras, quarum struthiocameli alacriter ludunt, similes colore camelis scabiosis pice illitis die frigido et pluvio congregatis,

30. iam penetravi vectus camela robusta, quae velut solum fugiens quatit terram ungulis lapidum ictu vulneratis, villis carentibus,

31. ita ut videas, cum currit summa meridie, silices albos pedibus eius anterioribus concitatos sicut papiliones dispersos.

32. Sed hoc est tempus, quod praeteriit, a quo mentem averterunt casus, qui mihi hoc anno acciderunt, magnitudine sua non occulti,

33. quorum similes, cum accidunt, scabunt lignum arboris robustae, solidae (i. e. graviter affligunt virum fortem, patientem).

34. Et conquesta est anima mea de eo, quod ei acciderat. At suffer (anima mea)! Es enim e gente hominum patientium.

35. Si inciderimus in res desideratas (divitias), non invenies nos de bona fortuna gaudentes neque damno accepto labentes.

36. Nos leones in arundinetis latentes, cum auxiliamur, neque ignavi sumus neque praecipites, nec delirantes.

37. Mihi enim origo est similis agri solio (fertilissimo), in quo uberrimos, quos dominus quaesiverat, seminum fructus is, qui coluit segetem, percipit.

38. Familiaresque mei benigne hospitium praebent comesque sunt peregrinis, sed, si id poscere videris (sc. male te gerendo), aditu difficiles sunt, tamquam viae in deserto.

39. Quanti enim viri sunt, quotiescunque induunt texturam

David (i. e. loricam), ut rem, quae imminet, fortiter gerant!

40. Tum, cum homines alteri alteris ministrant poculum mortis acerbum cumque inundant equos sanguinum fluxus rubri sicut flos Schaḳir (anemone).

41. Jam vero addunt, quod remittere solent gentilibus suis culpam (sc. in se commissam) neque iactantur de animo suo generoso.

42. Neque, cum pocula circumferunt, vini nimium pretium eis videntur camelae sexto mense gravidae, tuberosae, primum praegnantes.

43. Atque adeo, ubi bibunt vinum et inebriari coeperunt, dono dant camelos, quotquot habent secure incedentes equosque nobiles.

44. Tum cum redeunt vespere fragrant odore moschi et cooperiunt terram fimbriis palliorum (superbe incedentes).

45. Haereditate acceperunt imperium a patribus suis, tum ipsi exercuerunt imperium haud parvum.

46. Nos in hibernis degentes (ad coenam) invitamus omnes simul neque vides inter nos praeconem singulos invitantem,

47. tum, cum dicunt homines in concionibus suis: Num hic est odor carnis assatae an odor ligni aloes?

48. Tum invitamus ad lances, quae apponuntur convivis nostris impletas adipe tuberis cameli, cum oritur frigoris vis maxima.

49. Magnae (sunt) sicut cisternae camelorum, semper impletae, ut hospitio recipiamus hospites nostros vel omnes, qui forte adsunt.

50. Neque vero foetet caro camelorum apud nos; caro enim camelorum avari tantum foetet qui reservat quae non consumpta sunt in convivio.

51. Jamque noverunt Becritae, nos exitium esse camelorum (quos mactamus), liberales ludique „Maisir“ studiosos.

52. Jamque noverunt Becritae, nos esse praestantes ingenii et in periculis constantes.

53. Manifestant (gentiles nostri) iniuriam eius qui ipsis damnum infert et devincunt resistentem victorem.

54. Praestantiora sunt consilia eorum quam vicini eorum potentes pollentesque sunt, bonumque praecipientes.
55. Celeres sunt in expeditione agmine effuso et cum res acriter geritur, nos defendimus neque ad fugam convertimus.
56. Retinemus equos (neque vendimus eos) spreta importunitate temporis (hiemis seu belli) quae eis obnoxia est, cum non nisi rerum adversarum patientes equos retinere possint.
57. Cum gens nostra convocat concionem, postquam perterriti sunt, praeconis voce, crescente iam terrore (proclamo):
58. O juvenes in concione nostra, exuite tegumentis equos flavos et russos (spadices),
59. ab 'A'wadj oriundos, longos, graciles, bene exercitatos ad equitandum et extenuatos,
60. ex iis, qui fortiter incedunt, viriles, duris ungulis multo sudore manantes, cum spuma humectantur habenae,
61. cursantes pedibus curvis, velocibus, quibus infixae sunt ungulae, malleis similes duritie, fuscae,
62. prominentes cervicibus longis, gracilibus, sicut palmarum trunci cortice nudati!
63. Quorum pedes anteriores sustinent pectus, cuius interiora ampla sunt. Quo fit, ut non ruant exanimati.
64. Hi equi excellentissimi citato cursu contendunt, ac cum ad celerrimum cursum incitantur, ventis dant nodis solutis equitum amicula,
65. caudisque levatis vides eos festinantes („frena mordentes“ sive „a via declinantes“) cruraque porrigentes, cum intendunt cursum celerem.
66. Celeres in expeditione, cum opem ferunt (amicis), videntur avium agmina catervatim transeuntia.
67. Relinquunt post se fortes prostratos inter pedes equorum neque deest inter eos vir armatus in pulverem provolutus.
68. Proinde mori vellem pro filiis Ḳais (his familiaribus meis fortissimis) in omnibus quae hominibus accidere solent, sive prosperis sive adversis rebus utuntur.

69. Digni sunt, pro quibus omnia dimittam vel materteram et vitam ipsam. Sunt enim optime contendentes (ad summam gloriam) inter homines peregrinos.
70. Sociique sunt Loḳmâni in ludo Maisir, cum hieme carae fiunt camelorum mactatorum partes.
71. Neque importuni sunt debitori suo. Ludentium enim est sublevare fortuna desertos.
72. Interdum profecto reprehendi vos, sed postea obtulistis mihi poculum non acerbum (beneficiorum vestrorum).
73. Fui inter vos, sicut is, cuius caput coopertum est (sicut contumelia oneratus), sed hodie demissa sunt calantica et velum capitis mei.
74. Et temere prodiens aestimabam errorem meum viam rectam, sed destiti ab errore meo pervenitque vita mea jam in locum securum.

II (A ١٩ p. ٧٢).

1. Utrum sollicitaverunt te mansio verna, an tempus eius praeteritum, an cineres, quorum carbones diluti sunt,
2. Similes lineis, in cute conscriptis, quam mane notis compunctam vitro infecit vir inficiendi peritus?
3. Quae reliquiae post discessum meum ludibrium erant rivulorum, quas auxerant imbres tenues primi.
4. Quibus irrigati colles abundant herbis viridibus haud depastis et quo confluxit aqua, maior herbarum copia crescit.
5. In quos colles irruerunt (fecerunt eos propositum pectoris sui), (illi rivuli) imbribus veris diuturnis aucti, ut eos comminuerent.
6. Retinet me vestigium loci mansionis, ubi sto (seu „constiti camelos meos“) neque si animi studio obtemperarem, inde discederem,
7. ubi nihil video, nisi struthiones, similes ancillis quae onustae sunt fascibus altis.
8. Meministis temporis, quo vobiscum proelium commisimus. Nec quidquam egentem nocet egestas.
9. Vos enim estis palmae, ad quas accedimus (nocte) ut dactylos earum, cum decerpuntur, nobis demetamus.

10. Virgines autem vestrae succinctae ambulant inter palmas deteriores, ut earum dactylos demetant.
11. Anus autem quae una vobiscum sunt, refovent pedes manusque ignibus illarum palmarum.
12. Optimum quod pascere sinitis (camelos vestros) de fruticibus est fructus aridus plantae Ṭaḥmâ aut sucosus.
13. Discurrit enim inter eos Elġallâḳ, sicut currit fraudator vir perfidi ingenii.
14. Qui sagittas cum sumpsisset, ut sortiretur oraculum invenit sagittis sortium loco ductis perversum, non alterum rectum oraculum.
15. [Et cum vallem imam perfluat aqua abundans et suavis, latera eius opposita ornant colles (viridi).]
16. Sic gessimus bellum istud per aliquod tempus, tum reconciiiavit nos iudex.
17. Quod certamen si iterabitis, iterum in vos conferemus convicia fama late pervulgata
18. et proelium iterabimus continuum nullo die intermisso irruentes cum magno exercitu praedae cupidissimo.
19. Conclamant (equos incitantes): Progredere! age! huc! multitudo copiosa exercitus virorum fortium.
20. Percurrunt campum, cuius solum postea putares arenam bestiarum volutantium pulvere longe lateque excusso.
21. Neque vides quidquam nisi fratrem viri fortis comprehendentem adversarium et cum eo colluctantem.
22. Sic vir timidus expers est mentis, cum constantis viri constantia sit prudentia eius.
23. Juvenisque (fortis) ratione, qua est praeditus, vitam habet, quocunque vadit.

III (A ١٢ p. ٩٨.)

1. Hindae in locis asperis Aš-Šureif rüinae sunt vix apparentes, quarum incolae postremo aderant anno ante
2. Et in pede montis signa mansionis sunt, quorum reliquiae similes sunt panno Jemanensi, quem coloraverant incolae urbium Raida et Saḥûl.
3. Versatur in illis ruinis ventus vehemens ludens silicibus

parvis, et nubes atrae, quae vespere demittunt imbres assiduos.

4. Sicque (ventis imbribusque) commutata sunt signa mansionum, praeterquam quod tempore exstincta sunt. Neque enim contra temporum mutationem praesidium est. —
5. (Haec signa mansionum deleta) video vice tribus universae prospera fortuna utentis, (quippe quam, ut antea, viderem,) si tribus tribus (sc. indivisa) esset et mansiones mansiones (sc. incultae) essent.
6. Agite! amici duo! renuntiate servo erranti (Abdu'ḍ-Ḍallâl) nuntium, cum etiam tuos nuntios (o serve) ferre soleat legatus.
7. Clam diffudisti secretum meum, postquam comperisti. Nam cito secreta nobilium virorum differre soles.
8. Cur autem a recto fine aberras, cum rectum iustumque apertum sit et inter pios viros recto iustoque via pateat?
9. Separavit quoque a domibus tuis ambabus Sa'd filium Mâlik et 'Auf et 'Amr, quod susurrasti et locutus es.
10. Sic tu contra propinquiores tuos es boreas frigidus e Syria ortus, qui astringit vultus, humidus,
11. cum tu erga remotiores sis eurus haud frigidus, tum hinc, tum illinc flans, quo allati imbres tum terram madefaciunt tum superfundunt abundanter.
12. Profecto (vilis es, ut) fungus nascens loco demisso, cuius solum a fungis incipiens rimas agit. Humilis enim humilis est.
13. et certam scientiam habeo, non meram opinionem, virum cuius cliens humilis est, ipsum humilem esse.
14. Lingua autem viri, cui non est prudentia, manifestat loca nuda (i. e. ignominias) eius
15. et vir, qui non interdum indulsit iocum ei, qui offendere noluerat ioco, stultissimus est.

IV (A. ١٠ p. ٩٩).

1. Consiste! valedic nobis filia Mâlik et conversa flecte ad nos cursum (ad verbum „pectora") nonnullorum camelorum tuorum!
2. Consiste! Ne sit hic finis (excusatio) coniunctionis nostrae,

cum separemur, neve sit haec sors nostra, quam gratia tua adipiscar!

3. Annuntiabo tibi, gentem nostram separatam esse longinqui itineris consilio capto cum pari meo ac gentis nostrae detrimento.
4. Nec quidquam mirandum erat (est?) nisi vicina mea et quod me interrogavit (interrogat?): Nonne nobis familia est? Utinam, o vicina, eodem modo interrogeris! (O vicina, eodem modo ipsa interrogata es!?)
5. Vituperat illa peregrinationem meam in terris et emigrationem meam. Sed: O! quot mansiones mihi erant praeter medium domus tuae!
6. Neque est vir, qui consumat iuventutem suam sub tutela alius tribus aliter periens atque alius homo.
7. O quot dies, si aegrotus fuissem, visitassent me mulieres generosae de tribubus Ḥujajj et Mâlik!
8. Commoratus sum in Ḏu-l-ʾarṭâ paulo supra Muṯaḳḳib in mansione malâ periens seu pereunti similis,
9. dum impellebat ventus vestimentum meum contra me assidentem camelo e regione gentis Ṣadif, qui (macie) curvatus erat, velut arcus genibusque fixis cubabat.
10. Vidi Saʿd multos e multis gentibus, neque vero vidit oculus meus Saʿd similem Saʿd filio Mâlik,
11. qui maiore fide iuramentum servet et auxilium, de quo pactionem fecerant, praebeat et liberalior sit (tempore inopiae), cum aequant tubera camelorum scapulos,
12. qui magis auxerit gloriam avitam et dignitatem, quae haereditaria ei est inter tribum a mortuo accepta.
13. Pater meus deiecerat virum robustum hastae mucrone pugnans a sella sua, ut iacēret prostratus inter ungulas equorum.

V. (A. ١١ p. ٩٧).

1. Ḫaulae ruina mansionis est in vallis ʾIḍam flexibus et in pede montis Ḳaww statio et locus, unde profecta est.
2. Ibi devertit tempore veris, cum esset mansio eius verna. Secessus autem eius aestivi erant aquae regionis Al-ʾAšrâf, ubi feriuntur perdices.

3. Neve desistant imbres copiosi tempore verno et aestivo super mansionem eius, ubi quiete habitabat, effusi coelo tonante.
4. (Quos imbres afferant nubes) in quas (primum) ingruit notus, deinde irruit eurus. Quae si attingunt habitationem eius vetustam, imbres suos demittunt.
5. Diceresque pascere in illis nubibus camelas lactantes, quarum pulli errant, quaeque paulo abhinc tempore pepererunt. Quas nubes ubicunque concutit tonitrus earum, violente effunduntur.
6. Erat illi puellae venter lēvis, (propter pinguedinem) striatus et duo latera, quorum tumores non minuerat graviditas.
7. Si dicis (se ipsum alloquitur): „Nonne obliviscitur desiderii sui amans?“ (Respondeo:) „Confortantur amores H̱aulae primi.“
8. Et quidnam pluris adeptus es querendo (Pergit loqui ad se ipsum), quam (aspectum) mansionum desertarum, inter quas commoraris plorans, cum non sint commorandi locus.
9. Si enim vides qua die aulam mansionum eius, etiamsi post annum, lacrimas emittet oculus tuus vel profundet.
10. Dic proinde umbrae mulieris Ḥanṯalitae: Convertere ad eam ipsam. Ego enim annecto funem eius, qui coniungit funem suum ad meum (i. e. amo eum, qui amat me, non inanem umbram.)
11. O certe ploro propter diem tantum, quem degi in Ǧurṯûm, asperum. Quidquid post eum evenit, leve erat.
12. Si veniet, quod fieri necesse est, acceptum sit, neque, si veniet, infitiari neque excusationes dicere conabor.
13. Profecto bibi nigrum, piceum (venenum)! Profecto sufficit mihi potus! Sufficit!
14. Neve fac, ut, si obsecrem te auxilium mihi promissum, mihi videar columba clamans Hadîl, cui nemo respondet neque vero taedet eam clamare.

VI (A. ١٧ p. ٧٣).

1. Certe vir stolidi cordis putat mel aqua nubis permixtum esse convicium meum,

2. cum ego sim vir, qui adurendo sanem homines a rigore cervicis apparenti et vincam exercitum magnum exercitu magno,
3. et feriam inguina bestiae opportunum latus a sagitta avertentis,
4. et feriam hasta viri in extremo dorso equi sedentis tendones in coxa apparentes, ut continuam sanguinis vim effundat.
5. Repellit enim a te arrogantiam viri viam obstruentis vulnus hians osse detecto,
6. illatum acie gladii tui sive linguae tuae, cum vulnus verbo gravi illatum sit vulneri latissimo simile.
7. Refer Ḳatâdae (neve poposceris ab eo nuntii huius mercedem et gratiam cito redditam):
8. Laudibus te extuli propter familiam meam quia venit ad te macie confecta.
9. Miserunt ad te omnes viduas crinibus incomptis ferentes vas parvum aheneum.
10. Tum aperuisti portam tuam viris nobilibus, cum domini tentoriorum se invicem incitarent, ut portas obserarent.
11. Proinde irrigent terras tuas nequaquam nocentes imbres veris et pluviae continuo fluentes!

Notae.

I.

